



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale, || In Qvo || Vniversa || Materia De ||
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per
Quæstiones explicatur**

Eisengrein, Martin

Ingolstadii, 1577

VD16 E 795

XXVIII. V. possit aliquis confiteri peccatu[m], quod non habet.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30362

Caput II. De Materia

Et si verò nullo iure teneamur cōfiteri venialia; laudabile tamen est, & valdè utile illa confiteri: Horum enim peccatorū Confessio sufficiens materia est Sacramenti Poenitentiae. Effetque hæresis asserere, quòd nō liceat confiteri peccata venialia, vt definitum est in Cōcilio Tridentino, cuius verba sunt: **Cōc. Trid. vt suprà.** Si quis dixerit, non licere confiteri peccata venialia, Anathema sit. Is igitur qui non, nisi venialibus est obnoxius; petat in Paschate Eucharistiam, & Sacerdoti dicenti, vt prius confiteatur, respondeat, se nō egere Confessione, & Sacerdos credat. Sed quis est hic, & laudabimus eum?

Quæstio XXVIII. Potestne aliquis confiteri peccatum, quod non habet?

Respōsio. Si nunquam licet mentiri, multò minus in Confessione. Sed quale peccatum erit? **Mentiri in Confessione quale peccatum.** Dico probabiliter, quòd qui confitetur mortale, quod non habet, peccat mortaliter; quia peccat circa ea, quæ sunt de necessitate Confessionis, & decipit Confessorem, qui absoluet, quod non potest absolui: cū iniustam sui ipsius instituerit accusationem. Ad hæc, Confessio nō fuit integra, ac proinde nulla, & iteranda; quia non confitetur mendaciū illud perniciosum. Si autem peccatū, de quo dubitat, confiteatur tanq̄ certum; si id faciat, credens esse magis securum, vt communiter fit, non peccat: Si autem faciat animo decipiendi Confessorem, peccat mortaliter.

Sed quid de scrupulosis, vt si habeam suspicionem, quòd fecerim peccatum? Respondeo, quòd non solum non teneor cōfiteri; sed neque licet, præsertim, si credam, quòd non consenserim; quia in rebus mortalibus procedendum est ex admodum probabilibus cōiecturis: DEVS enim non est sophista, nec quarit laqueos. In rebus autem mortalibus, censetur demonstratio, si coniecturæ faciāt pro vna parte, & non pro alia, licet habeam formidinē eius. Isti, qui sic confitentur, infamant Sacramenta, & reddunt ea odiosa, satis est confiteri peccata certa & dubia.

Scrupulosi
infamant
Sacramēta.

Verbi gratia, Est aliquis cui præpositum fit, omni studio cauere peccatū, & nulli prauę tentationi consentire, & expertus est, diaboli suggestionibus se fortiter sæpenumerò restitisse: Fortè contingit eiusmodi hominem similibus immergi cogitationibus, ac illis animum aliquanto tempore distineri, nec post aduertit, an consensum præbuerit, nec ne: Is, inquam, huius rei incertus, talia animi cogitata in Confessionē adferre non debet propter rei ambiguitatem.

Et eodem modo, de cogitationibus fidei, & phantasiis, quæ occurrunt homini, etiam parato mori pro fide, si opus esset.

E 2 CAPVT